

Talis, conor ubi nostri defigere in illa  
 Obtutum ingenii, cœca velut nimio  
 Fulgore in magna mens mi stupet heroina;  
 Tot bona, tot dotes perspicit eximias.  
 Quas, ita sim felix, nequeat memorare canendo  
 Mœonides vatum maximus, ille licet  
 Non tantum Æoliden, & Achillea Laryssæum,  
 Verum ipsos cantu dicere grandiloquo  
 Est etiam Divos ausus. Contendere nam quæ  
 Austriadi multo possit honore Dea?  
 Imperio magna est Juno, Gytherea decora est,  
 Ingenuas artes docta Minerva; Deam  
 Dos sua quamque ornat; dotes complexa Dearum  
 Illa trium, magna est, docta, decora; pia  
 Præterea. Huc fortí virtutis robore septum  
 Adde animum, & duris casibus indomitum,  
 Consiliumque sagax, quo pacem, ac bella gubernans  
 Fortunam arbitrio torquet, agitque suo:  
 Non sibi, sed populis quod regnat, commoda vitæ  
 Cuncta parans, ipsis mentibus inluviem  
 Fœdam illam abstergens, artes quæ fusa per omnes  
 Omnem per sophiam turpiter ingeniis  
 Doctorum insedit, cum Grajus, cumque Latinus  
 Externis cessit sordibus ille nitor.  
 Adde huc progenitos heroas, germina dia,  
 Stat quibus Austriacum, stabit & usque, genus,  
 Stabunt ipsa etiam magnæ benefacta parentis,  
 Nec longo annorum victa cadent senio.  
 Hæc ingens, hæc me tot rerum copia terret,  
 Miranti hæc vocem surpuit, atque animum.  
 Quare promissas noli jam poscere laudes;  
 Ni vis forte aliquo laudis habere loco  
 Ipsum hoc, quod dixi, Vatum audax vincere cuncta  
 Illius vinci laudibus ingenium.